



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 67. Cardinalis Arelatensis Oratio pro Conclusione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](#)

esse grandem, arduamque, nec tam brevi spa- Sæcul. XV.  
tio comprehensibilem; velle se atque collegas A. C. 1439.  
ante confessum & audire alios, & audiri ab  
aliis; oportere eum rem bene nosse, ut do-  
mum rediens, & informare posset Galliæ, Do-  
minum suum. Pluribus aliis contra Arela-  
tentem declamantibus, ad Panormitanum  
Archiepiscopum ordo deflexit, qui pluri-  
mum excandescens, graviter in Basileen-  
ses invehebatur, in eos illa Evangelii ver-  
ba apud S. Matthæum cap. 7. v. 6. *A fru-*  
*dibus eorum cognoscetis eos,* & illa: *Qui*  
*male agit, odit lucem,* Joan. v. 20. re-  
torquens. Absolutis omnibus hisce ser-  
monibus, in quibus plus commoti animi  
motibus, quam veritatis amori tribui cre-  
debatur, Cardinalis Arelatensis verba fa-  
cere coepit, atque orationem suam jam ad  
Panormitanum direxit, jam & Impera-  
toris, & Francorum Regis Oratores, non-  
nunquam etiam ad quosdam Prælatos si-  
gillatim convertit.

### §. LXVII.

#### *Cardinalis Arelatensis Oratio pro Conclusione.*

Summa autem orationis suæ hæc fuit,  
Conclusio Canonice ac juxta ritum le-  
gesque, quas omni tempore Synodi Pa-  
tres servarunt, confecta est, quæ vero ho-  
die

**Secul. XV.** die aguntur, non solum ad solemnitatem  
A. C. 1439. sed etiam ad vim, & robur Actorum per-  
 pertinent. Præterea cuncti, qui hanc deci-  
 sionem absque alio quam veritatis studio,  
 omniq[ue] seposito animi motu perpen-  
 dunt, facile deprehendent, declarationem  
 trium veritatum superius scriptarum Ca-  
 nonice, & legitime factam esse, cum om-  
 nes Galliarum, Germaniæ & Poloniæ  
 Episcopi per seipso[s], aut per Procurato-  
 res suos subscriptissent, eisdemque adhae-  
 rerent, solis Italiae & Arragoniæ Episco-  
 pis obsisterebus, eoquod Rex Arragonie  
 ob Regnum Siciliæ Fiduciarius Pontificis  
 esset; demum oratione ad finem vergente  
 ad Lubecensem Episcopum converto[n]it.  
*En!* inquit, *res iterum fidei agitur; ab-*  
*mus hinc obsecro, ne scandalum simus illi,*  
*neve a ceteris oratoribus dissentire dicimus.*  
 Cui Lubecensis respondit, *Mane Pater,*  
*mane sic.* *Nunquid non verissimæ hypo-*  
*modi conclusiones sunt?* *Quid tu timeas, pro*  
*veritate fecisse?* *Hæc,* inquit Æneas Sy-  
 vius, *a paucis audita fuere, submissa namque*  
*inter se voce sermones miscabant, ego tamen*  
*ad pedes illorum sedens, quæ ipsi dicerent,*  
*verba cupide observabam, audivi.* Arela-  
 tensis autem lectis quibusdam, quas ad  
 conclusionem necessarias reputabat, Scri-  
 pturis, postulantibus Promotoribus con-  
 clusit, & absolute sua oratione conventum  
 dimisit, & Sessionem ad diem decimam  
 sex.

sextam Maji, in qua Decreti confirmatio Sæcul. XV.  
sequeretur, indixit.

A. C. 1439.

§. LXVIII.

*Sessio XXXIII Synodi Basileensis.*

Igitur die Sabbati decima sexta Maji habebatur Sessio trigesima tertia Basileensis Synodi, ad quam emnes, qui eandem exoptaverant, hora præstituta accedebant. Celebrabat Sacrum solemne Episcopus Lausanensis, & Principum Oratores suo nomine ad eandem Sessio-  
nem Lubecensem Episcopum, & Turo-  
nensem Archipræfulem decernebant, si-  
mulque pollicebantur, se quoque per se  
ipos Synodo interfuturos, dummodo ad  
quadrimestre adversus Eugenitum judicii  
acta suspenderentur; quibus induciis ad  
vota impetratis, iidem insuper postula-  
bant, ut Synodi decretum nonnisi circa  
primam conclusionem conderetur; hanc  
enim solam tolerari posse affirmabant,  
quibus Cardinalis Arelatensis hæc re-  
sponderi præcepit: totius negotii summa  
a posterioribus duabus Conclusionibus  
dependet, atque in his potissimum Synodi  
cura sita est; si ergo Sessioni interesse re-  
nuunt, culpa omnis in eos conjicietur,  
si Synodus dissolvatur, & pacis, quæ hac  
via Ecclesiæ redi posset, spes ea ex cau-  
fa intercidatur, quod ipsi promissis stare  
negli-

*Labbe Conc.  
to. 13. p. 618.*